CVRAE EPIGRAPHICAE

SCRIPSIT

DR. RICARDVS NEVBAVER

BEROLINI
TYPIS FRATRUM UNGER (TH. GRIMM)
A. MDCCCLXXII.

1. Archontes annorum 62—52 a. Chr. maximam partem adhuc ignoti ex titulis eruuntur.

In Corpore inscriptionum graecarum n. 255 (cf. etiam addenda pg. 909) legitur titulus ad res gymnasticas pertinens, qui etiam in Ephemeride archaeologica n. 1884 et in libro, quem Le Bas edidit, qui inscribitur voyage archéologique n. 538 reperitur. et sic se habet,

ΗΤ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣΠΟΣ.ΥΜΝΗΓΟ . . . . .
ΕΥΣΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣΕΝΤΩΕ . . .
ΑΡΙΣΤΟΞΕΝΟΥΑΡΧΟΝΤΟΣΕΝΙΑΥΤ
ΕΡΜΗΠΑΙΔΟΤΡΙΒΟΥΝΤΟΣΦΙΛΙΟ
ΤΟΥΔΙΟΚΛΕΟΥΣΦΡΕΑΡΡΙΟΥΥΠΟ
ΔΟΤΡΙΒΟΥΝΤΟΣΘΕΟΔΩΡΟΥΤΟΥΠ
ΟΥΜΕΛΙΤΕΩΣ

quem collato titulo a Pittacisio edito,[1]) qui haut dubie eiusdem inscriptionis est pars superior[2]), sic reficio

Ἀγαθ]ῆ τ[ύχη
Διονύσιος Ποσ[ειδωνίου Φλυ-
εὺς γυμνασιαρχήσας ἐν τῷ ἐ[πὶ
Ἀριστοξένου ἄρχοντος ἐνιαυτ[ῷ
Ἑρμῇ, παιδοτριβοῦντος Φιλίο[υ
τοῦ Διοκλέους Φρεαρρίου, ὑπο[παι-
δοτριβοῦντος Θεοδώρου τοῦ Π . . .
ου Μελιτέως.

sed hoc quasi obiter et praeteriens emendavi. quod maximum est conmemorantur hoc titulo archon eponymus *Ἀριστόξενος* et paedotriba *Φίλιος Διοκλέους Φρεάρριος*. quorum

[1]) in libro qui inscriptus est l'ancienne Athènes pag. 466.

[2]) tradit haec, *Διονύσιος Ποσειδωνίου Φλυεὺς γυμνα||σιαρχήσας ἐν τῷ ἐπὶ Ἀριστοξένου ἄρχον||τος ἐνιαυτῷ Ἑρμοῦ τῷ γυμνασίῳ*. hic versuum longitudo licentiam, verba *τῷ γυμνασίῳ* certe falsam Pittacisii opinionem declarant. non enim gymnasio, sed Mercurio stela dedicari solet, aut Mercurio et Herculi.

alter etiam in alio titulo reperitur, quem hic describam adiunctis eis quae qui edidit titulum supplevit[1]),

ΣΙΟΣΙΟ	. . . . . . σιος ιο . . . . .
ΝΟΥΣΙΟΥ	. . . . . . νουσιου . . . . .
ΣΑΣΘΗΣ	ἀγωνοθετή]σας Θησ[είων[2])
ΩΔΟΥΑΡΧ	ἐν τῷ ἐπὶ Ἡρ]ώδου ἄρχ[οντος
ΩΙΕΡΜΗΠ	ἐνιαυτ]ῷ Ἑρμῇ, π[αιδοτρι-
ΟΣΦΙΛΙΟ	βοῦντ]ος Φιλίο[υ τοῦ
ΡΕΑΡΡΙΟ	Διοκλέους Φ]ρεαρρίο[υ
ΩΣ	ὑποπαιδοτριβοῦν]τος . . . .

conparent hic Ἡρώδης archon et quod gravissimum est idem quem iam supra vidimus paedotriba Φίλιος Διοκλέους Φρεάρριος. sequitur ut Aristoxenus et Herodes eadem aetate archontis munere functi sint. sed etiam adcuratius res statui posse videtur. sunt enim hi tituli eius aetatis qua paedotribae non iam per vitae tempus[3]) sed singulis annis muneribus fungebantur, ut si quem nihilo minus in diversorum annorum titulis eo officio functum videmus hi anni fere paullum distare soleant. hinc potest colligi paucos annos inter Aristoxenum et Herodem archontes esse interiectos. quod si cui minus probetur, restat tamen de quo non possit dubitari, eadem nimirum horum archontum aetas.

Sed iam quibus annis hi adscribendi sint quaeritur. atque de Aristoxeno quidem aliunde non constat. videamus de Herode. duo huius nominis archontes eponymi in fastis reperiuntur, quorum alter, notissimus ille Tiberius Claudius Atticus Herodes Marathonius, nulla potest ratione huc referri. primum enim cum hic anno demum 135 p. Chr. n.[4]) Athenis archon fuerit, illi quos supra conmemoravi tituli si non ob litterarum ductus, est enim res admodum dubia, at ob eam tamen quam habent speciem in illam aetatem vix possunt detrudi. accedit illud, quo vel uno res diiudicatur, quod in eis titulis in quibus hic Herodes adpellatur archon[5]) non Philius Dioclis fil., quem exspectaveris, paedotriba exhibetur, sed alius, Demetrius Isigenis fil. Rhamnusius. quapropter nullo pacto fieri potest ut hic Herodes idem sit archon quem supra ex illo fragmento eruimus, et eum quidem aequalem Aristoxeni. restat igitur ut de altero Herode cogitandum sit[6]) quem Olymp. 180, 1 archontem fuisse tradit Diodorus Siculus[7]). et hunc esse

[1]) in libro „Ἐπιγραφαὶ ἀνέκδοτοι“ Athen. 1860 φυλλάδ. α' n. 14.

[2]) vs. 3 potius supplendum solito usu νική]σας Θησ[εια. cetera haut dubie recte se habent.

[3]) is mos demum Hadriani aetate invalescit, et adscriptum est illud „διὰ βίου“ primo Abascanto paedotribae, de quo conferas commentationes meas epigraphicas pag. 12 ss.

[4]) cf. fastos Corsinianos II pag. 106 ss. et comm. m. epigr. pag. 160.

[5]) sunt in ephemeride Atheniensi ‚Φιλίστωρ' I 381, III 63 a Cumanude editi.

[6]) apud Pittacisium l. l. pag. 51 ex titulo quodam restat hic unus versus ἐπὶ ἄρχοντος Ἡρώδου τοῦ Π(ι)ιθέως. is fugit viros doctos qui recenti tempore archontum fastos conscripserunt. in Πιιθέως vocabulo non, quod vel addito ex articulo intellegitur, demoticum quaerendum est, quod Rangabeus antt. hellén. n. 581 pag. 235 voluit, sed patris nomen. quod cum addi soleat ut quis ab cognomini archonte secernatur, efficitur ut tres omnino huius nominis archontes fuerint. quo vero anno hic Atheniensium rei publicae praefuerit satius est in medio relinquere, cum in minuto illo fragmento nihil certi possit deprehendi.


[7]) bibliothec. hist. I 4.

eum de quo quaeritur veri est simile. quod si ita se habet etiam Aristoxenus circiter idem tempus archon fuit Athenis.

Iam eiusdem aetatis alius archon est notus, *Θεόφημος*, quem a Castore Olymp. 179, 3 adscriptum esse ex Eusebio Armeniaco constat[1]). in eandem igitur aetatem sunt referendi hi tres,

Θεόφημος Olymp. 179, 3 vel 62 a. Chr.
Ἡρώδης „ 180, 1 „ 60 „
Ἀριστόξενος circiter idem tempus.

Nunc vero his paullisper relictis videndum est de tituli cuiusdam fragmento quod Pittacisius in Ephemer. arch. n. 578 et Le Bas l. l. n. 282 in medium protulerunt. qui titulus etsi qualis integer fuerit iam non potest intellegi, tamen hoc quidem adparet plures fuisse paginas vel columnas, ex quibus duarum extant reliquiae, atque in ea quae in dextra lapidis parte est magistratus quosdam, munere nescio quo functos, scriptos fuisse ita ut singulis nominibus superscriberetur eponymus quidam magistratus adhibita formula *ἐπὶ τοῦ δεῖνος*. sed ipsum proponam fragmentum quale collatis titulis quos supra attuli efficitur,



[1]) cf. Niebuhrii scripta minora ad historiam et philologiam pertinentia vol. I pag. 189 et 249.

lego autem et dispono ita,

. . . .	. . . . . στων
. . . .	ἐπὶ] . . . ου
. . . .	. . . . . . ιος
. . . .	ἐπ[ὶ Ἀρι]σταίου
. . . .	Ἀρίσταιος
. . . .	ἐπὶ Θεοφήμου
. . . .	Ἐπικλῆς Ἐπι[κλ]έου
. . . .	ἐπὶ Ἡρώδου
. . . . ς	Δέκμος Αὐφίδιος
. . . .	ἐ[πὶ] Λευκίου
. . . . ος	Πόπλιος Οὔφριος
. . . . . . ος Ζῆ	ἐπὶ Καλλι[γέ]νο[υ
. . . . . . ου	vacat
. . . .	ἐπὶ Διοκλέους
. . . . . . τοξένου	Εὔδοξο[ς
. . . . . ελγασίου	ἐπὶ Κοΐντο[υ
. . . . . . ονος	Ἐπικλῆς Ἐπ[ικλέου?]
. . . . . . ασιου	ἐπὶ Ἀριστοξ[ένου
. . . . ου	ἐπὶ Ζήν[ωνος
. . . .	ἐπὶ Γε . . . . .
. . . .	ἐ]πὶ Δι . . .

Ea nomina quae addita *ἐπί* praepositione genetivo casu perscribuntur eponymorum esse magistratuum per se liquet; archontum vero sint necne in dubium potest vocari, cum nuda *ἐπὶ τοῦ δεῖνος* formula non addito *ἄρχοντος* vocabulo non sollemnis sit neque usitata. sed hanc quoque formulam non numquam usurpatam esse docent haec exempla: in Corp. inscr. gr. n. 246 est *ἐπὶ Σύλλα*, in tit. apud Rossium de dem. Attic. pag. 34 n. 10 legitur *ἐπὶ Ῥοιμητάλκα* et *ἐπὶ Ποδυκίπου* (?), ibidem pag. 53 legimus *ἱε]ροποιοὶ οἱ ἐπὶ Φιλιππίδου Ἀρτέμ[ιδι*, apud Rangabeum l. l. II 2293 extat *ἐπὶ Ἰσαίου Ἐλαφηβολιῶνος κτλ.*, in Ephem. arch. n. 1970 habes *οἱ ἐφηβεύσαντες ἐπὶ Δη(μο)στ(ράτου?)*, denique in titulo quodam a Bursiano edito[1]) reperitur *οἱ ἐπὶ Σ . . . . . . πυλωροί.* itaque illos qui num archontes sint quaeritur esse archontes non est cur vetemur censere. et ad certum redacta res videbitur cum in illorum numero esse adparuerit quos fuisse constet archontes et eos quidem eadem aetate. atqui id ipsum huc convenit; legimus enim in fragmenti illius

versu 6 *ἐπὶ Θεοφήμου*, vs. 8 *ἐπὶ Ἡρώδου*, vs. 18 *ἐπὶ Ἀριστοξένου.*

sunt hi nimirum illi tres quos eadem demonstravi aetate archontis munus administravisse. ut res iam extra dubitationem posita sit.

Relinquitur ut quaeramus cui quisque anno sit adscribendus. sed prius aliud e medio tollemus quod ne continua fiat archontum series obstare videatur. dicet enim quispiam dubium esse paginisne an versibus potius integris eisdemque continuis scriptus fuerit titulus, et hoc si sit interruptam, non continuam esse archontum seriem. at videamus

[1]) cf. Relat. societat. scient. Saxonicae 1860 pag. 217.

quae perspicua sit in titulo disponendae rei ratio. a dextro versuum latere satis spatii omni vacat scriptura, ut singuli versus vicissim desinant aut in voce *ἐπὶ τοῦ δεῖνος* aut in nomine proprio nominativo casu posito. unde efficitur ut quod ad quamque vocem *ἐπὶ τοῦ δεῖνος* referebatur nomen aut in initio insequentis versus scriptum fuisse necesse sit aut sub ea ipsa voce *ἐπὶ τοῦ δεῖνος*. illud si erat integris et continuis versibus continebatur inscriptio, aliter paginis. iam illud si fuisset non mirum solum esset, sed plane singulare quod vel sic in primi cuiusque versus fine adfertur eponymus, secundus quisque habet nomen proprium nominativo casu exhibitum. nam integris versibus et continuis si scriptum fuisset, is fere videlicet ordo expectaretur,

ἐπὶ τοῦ δεῖνος ὁ δεῖνα. ἐπὶ τοῦ δεῖνος
ὁ δεῖνα. ἐπὶ τοῦ δεῖνος ὁ δεῖνα. ἐπὶ
τοῦ δεῖνος ὁ δεῖνα. ἐπὶ τοῦ δεῖνος κτλ.

ex quo perspicuum est paginarum fuisse in titulo dispositionem neque perperam me iudicare ea quae restat pagina continuam contineri archontum seriem.

Sed iam de ipsa archontum serie videamus. atque Theophemum quidem a Castore in Olymp. 179, 3, Herodem a Diodoro in Olymp. 180, 1 referri iam supra adnotavi. quod autem in titulo nullo intermisso anno Herodem videmus succedere Theophemo forsitan haut ita difficilem explicatum habeat. adparet enim Diodorum Siculum cum biblioth. I 4 scriberet, *τούτου* (scl. *Γ. Ἰουλίου Καίσαρος*) *αἱ πρῶται πράξεις ἐπετελέσθησαν ὀλυμπιάδος τῆς ἑκατοστῆς καὶ ὀγδοηκοστῆς κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡρώδου*, significare voluisse annum U. c. 694, quo anno cum primus fuerit triumviratus et revera dici potest illud *τούτου αἱ πρῶται πράξεις ἐπετελέσθησαν* et suo iure Diodorus hunc annum quasi finem historiarum suarum statuit. idem autem annos ab urbe condita numeratos permutat cum annis Olympiadum: atqui anni a. U. c. 694 prior pars referenda est ad a. Olymp. 179, 4, altera ad a. Olymp. 180, 1, ut si adcurate conputetur a. Olymp. 179, 4 par sit anno U. c. 693/694 et a. Olymp. 180, 1 par anno U. c. 694/695. itaque cum annum 694 spectaret Diodorus pro eo non minus Olymp. 180, 1 quam Olymp. 179, 4 poterat ponere; elegit autem illud alterum. iam si ponamus Castorem contraria semper usum esse ratione nescio an res expedita sit. coniectura est, sed ea satis probabilis. itaque hunc propono hancce archontum tabulam per annos 62—52 a. Chr. n. dispositorum.

num.	archontes	Olymp.	u. U. c.	a. Chr.
1.	[Ἀρί]σταιος (?)	179, 2	692	62
2.	Θεόφημος	3	693	61
3.	Ἡρώδης	4	694	60
4.	Λεύκιος	180, 1	695	59
5.	Καλλιγένης (?)	2	696	58
6.	Διοκλῆς	3	697	57
7.	Κόϊντος	4	698	56
8.	Ἀριστόξενος	181, 1	699	55
9.	Ζήνων	2	700	54
10.	Γε	3	701	53
11.	Δι	4	702	52

Atque haec hactenus. nunc singula quaedam huc pertinentia adiciam.

vs. 4. 5 ex coniectura dedi ἐπ[ὶ Ἀρι]σταίου Ἀρίσταιος, quod non utique verum esse dixerim; sed tamen si revera illud scriptum fuit, idem homo et archontis et eo de quo in titulo agitur munere illo anno functus videtur esse. quae sententia non omnino reicienda sit, cum quale fuerit munus non constet.

v. 6 legitur ἐπὶ Θεοφήμου. qui dubito an idem sit archon putandus qui in tit. Ephem. arch. n. 3842 conmemoratur, ubi sic legendum est

Ἐπὶ Θεοφήμου ἄρχοντος ἐπὶ τῆς . . . .
π]ρυτανείας, ῇ Προκλῆς Ἀγ . . . .
ἐγραμμά]τευεν, Πυανοψιῶνος ἕκ[τει . . . . .
δεκ]άτει τῆς πρυτανείας [ἐκκλησία κυρία,
τῶν προέδρων ἐπε]ψήφιζεν Ἀφ[ροδίσιος . .
καὶ συνπρ]όεδροι.

quod vs. 3. 4 etiamtum scribebatur δεκ]άτει pro δεκάτῃ non repugnaret, etiamsi vs. 2 non legeretur ῇ: nam et hoc et similia antiquae scripturae sunt reliquiae et saepius offendunt in eius aetatis titulis qua iam diu desitum erat vetere ratione scribi. sed ea fere non obtinebantur nisi in praescriptorum formulis et in voce Ἑρμεῖ usurpata pro Ἑρμῇ. ceterum adnoto omissam esse huius tituli (Ephem. arch. n. 3842) conmemorationem in archontum indice a Westermanno confecto.[1])

vs. 7 Ἐπικλέου supplevi, non Ἐπικλέους, quod in lapide Σ littera non videtur fuisse scripta. et omnino illa aetate nominum propriorum quorum altera conpositionis pars ducenda est a κλέος κράτος σθένος γένος substantivis, eorum igitur genetivi in -ου desinentes satis crebro reperiuntur. veluti collecta habeo solis ex quinque titulis, qui sunt in Philist. I post pag. 56, 90, 288, haec Διοκλέου Ἀριστοκράτου Ἑρμοκράτου Μενεκράτου Σωκράτου Λυσικράτου Σωσθένου Εὐσθένου Ἑρμογένου Ἀριστογένου Διογένου Ἐπιγένου.

vs. 9. Δέκμος Αὐφίδιος est Romanum nomen Decimus Aufidius.

vs. 11 Πόπλιος Οὔφριος in lapide est, sed Οὔφριος neque notum adhuc est nomen neque omnino cogitari potest, nisi si barbarum est. quamquam mihi persuasi legendum esse aut Πόπλιος Ῥούφριος aut Πόπλιος Ὄφφιος. sunt Romana nomina Publius Rubrius et Publius Oppius.

vs. 12. ΕΠΙΚΑΛΛΙ...ΝΟ/// vix est dubium quin recte legerim ἐπὶ Καλλιγένου. offendit autem quod huic archonti nullum nomen in lapide subscriptum fuit; nam versus 13 vacat. quod sic expedio ut neminem omnino illo anno statuam fuisse qui id de quo agitur munus administraverit. quae sententia ea re non infringitur quod nihilo tamen secius archontis nomen sculptum est: hoc enim eo consilio factum esse existimo ne integra annorum series tolleretur neve qui posteriore tempore lecturi essent titulum de anno dubitarent. et omnino saepius in titulis talia offenduntur; veluti in tit. Ephem. nov. n. 199[2]) col. II vs. 39 festi Γερμανικείων nomen sculptum est neque tamen subscriptum agonothetae nomen, quod in reliquis festorum nominibus factum est, sed vacat insequens versus; atque simili ratione in tit. Philist. III 553, 2 col. I, ubi ephebi

[1]) in libro quem Pauly confecit et inscripsit Real-Encyclopaedie der klassischen Alterthumswissenschaft I 2 ed. II 1866 pag. 1478.

[2]) cf. commentationes m. epigraph. tab. II et pag. 67.

per tribus dispositi enumerati sunt. legitur vs. 52 *Αἰγεΐδος*, quamvis nulli prorsus ephebi ex Aegeide tribu orti eo anno in gymnasio versarentur; sculpsit tamen illud vocabulum certe idcirco ne tribuum ordo turbatus esse videretur; denique simile quiddam cernitur in tit. Philist. III 357 vs. 30, ubi *κεστροφύλακος* vocabulum sculptum est, non sculptum huius nomen, sed caret insequens versus omni scriptura. quapropter et illud et quod vs. 18—21 quattuor deinceps archontes nullo alio interiecto nomine alius alium subsequuntur hac ut ratione explicem mihi sumo. et plura consulto supra attuli similia exempla ne quis mihi illud opponeret hisce rebus turbari et tolli fortasse eam quam ipse in titulo vellem inesse archontum seriem.

vs. 14. *ἐπὶ Διοκλέους.* hunc eundem esse mihi persuadeam qui in tit. apud Rangabeum l. l. II n. 811 reperiatur, ubi legitur *ἐ]πὶ Διοκλέους τοῦ Διοκ[λέους ἄρχοντος]*. est enim eius tituli eadem plane scriptura vel dicam litterarum ductus, ΑΕΜΠ et ΓΞ; neque repugnat tituli argumentum.

In ceteris nihil restat observatione dignum. sed aliud quiddam nolo omittere quod hinc effici potest. conmemorari enim supra vidimus eodem in titulo archontem Aristoxenum, quem anno 55 a. Chr. adscribendum esse adparuit, et paedotribam *Φίλιον Διοκλέους Φρεάρριον*. iam in tit. Philist. II 187 exhibentur archon *Ἀπόληξις Φιλοκράτους ἐξ Οἴου* et paedotriba *Φίλιος Φιλίου νεώτερος Φρεάρριος*. quorum huic quod additum est et patris *Φιλίου* nomen et *νεωτέρου* vocabulum satis indicat fuisse antea paedotribam *Φίλιον Φρεάρριον*. atque hic ipse est ille *Φίλιος Διοκλέους Φρεάρριος*, quem *Φιλίου νεωτέρου* patrem esse mihi persuasum est. quod si recte se habet inter illos titulos tot anni intersunt quot fere unius hominis continentur aetate. unde efficitur *Ἀπόληξιν Φιλοκράτους ἐξ Οἴου* circ. a. 20 a. Chr. n. Athenis fuisse archonta.[1])

Data hac occasione non possum non conmemorare eundem hominem, Apolexidem Philocratis fil. ex Oeo, in alia quoque inscriptione reperiri, cuius aetas nunc demum hoc modo adcurate definita est. inter prytanes enim, si quid consilii vel argumenti in eo titulo fuerit recte perspicio, perscribitur in tit. Ephem. arch. n. 516.[2]). neque est nullius momenti statuta tituli aetas, cum eam doceamur ductuum formam qualis in titulo cernatur illi potissimum aetati esse tribuendam: sunt enim omnium fere litterarum fines transversis lineolis distincti.

Illud puto ad extremum notabile esse quod et in eis titulis quibus Herodem

---

[1]) ceterum eiusdem archontis nomen conparebit titulo Ephem. arch. n. 568 recte suppleto, et ita quidem

ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος] Παλληνεὺς λαχὼν γραμματεὺς
εἰς τὸν ἐπὶ Ἀπολήξ]ιδος ἄρχοντος ἐνιαυτὸν ἀνέθηκεν.

eundem porro habebis cum decreti cuiusdam ad ephebos pertinentis reliquias, quae sunt in Ephem. arch. n. 4043 et 4044, apte conposueris. qui futuro tempore archontum indicem conficiet non poterit facere quin hos quoque titulos spectet.

[2]) eodem in titulo huius Apolexidis familiaris nominatur *Ἀπόληξις Ἀπελικῶν[ος] ἐξ Οἴου.* quem ideo hic conmemoro quia in Papei onomastico (edit. III cur. Benseler) sola scriptura *Ἀπελλικῶν*, duabus scilicet *λ* litteris, exhibetur; neque tamen altera reicienda sit. nam in hoc titulo alteram *λ* litteram a sculptore vitio omissam esse non est cur putemus, cum praesertim eadem scriptura iam pridem extiterit in anecdoto Romano a. 1851 ab Osanno edito, ubi haec leguntur, *ἡ δὲ δοκοῦσα ἀρχαία Ἰλιάς, λεγομένη δὲ* ΑΠΕΛΙΚΩΝΟΣ (cf. M. Sengebuschii dissertat. Homeric. prior. p. 187), quae verba primus Augustus Nauckius recte de Apellicone illo Teio intellexerat. sed fortasse minus recte scribi iusserat *Ἀπελλικῶνος*; nam lectio *Ἀπελικῶνος* illo titulo nescio an firmetur.

Aristoxenum Apolexidem archontes exhiberi diximus[1]) et in aliis quibusdam, qui in eandem aetatem sunt referendi[2]), praescriptionis formula singularis et quae ab vulgari et constanti huius rei usu recedat usurpata est, *ἐν τῷ ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχοντος ἐνιαυτῷ*. quae quid differat a vulgari vel quae eius sit vis ac ratio non possum explicare. quod olim[3]) ea re nisus quod illo tempore licebat absentem quoque eponymi munus obire, cuius rei exemplo sunt Domitianus et Hadrianus imperatores, conieceram illam fortasse formulam tum esse adhibitam cum quis quamvis nomine archon non praesens tamen Athenis esset, hoc amplius retineri non posse nunc docemur titulo nuper edito[4]) eius anni quo Domitianus Athenis archon erat. in eo enim non, quod illud si verum esset expectaretur, legitur *ἐν τῷ ἐπὶ αὐτοκράτορος καίσαρος . . . Δομετιανοῦ ἄρχοντος ἐνιαυτῷ*, sed vulgari usu *ἐπὶ αὐτοκράτορος καίσαρος Δομετιανοῦ σεβαστοῦ . . . . ἄρχοντος*. itaque non habeo quomodo rem expediam. quod vero ad tempus attinet cadunt omnes illi tituli aut in posteriorem primi a. Chr. n. saeculi partem, aut in initium primi p. Chr. n. saeculi. posterioris aetatis etsi multi servati sunt tituli, tamen in nullo eorum, excepto eo qui quo anno Hadrianus imperator Athenis erat archon scriptus est, illa formula usurpatur. quae cum ita sint haut scio an etiam tit. Corp. inscr. gr. n. 265, in quo legatur *ἐν τῷ ἐπὶ βασιλέως Ῥοιμητάλκα ἄρχοντος ἐνιαυτῷ*, ad eandem aetatem revocandus sit. quod si verum est Rhoemetalcas huius tituli archon non idem potest esse qui in titulo quodam apud Rossium de dem. Attic. n. 10 edito exhibetur ita ‚*ἐπὶ Ῥοιμητάλκα* Ν̅Ε̅, sed duo cognomines archontes fuisse iudicandum est; quod eo magis perspicuum fiat cum hautquaquam temere alterius nomini additum sit illud signum Ν̅Ε̅ i. e. *νεώτερος*, quod fere fit ut ab altero cognomini archonte distinguatur. sed adcuratius de utriusque anno quaerere ab hoc loco alienum esse existimo.

---

2. Democratem fastis archontum inserendum esse demonstratur.

In Ephemer. arch. n. 1941 hoc tituli fragmentum legitur,

ΣΙ ΙΑΡΧΩ
ΔΗΜΟΚΡΑ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ
ΝΙΚΑΝΩΡΝΕΟΣ
ΚΗΡΥΞΤΗΣΕΝ
ΘΕ
ΚΗΡΥΚΙΣΙΟΣΑΤ
ΑΥΛΗΤΗΣΝΙΚΙΑΣ
ΛΕΙΤΟΥΡΓΟΣΙΣΙΔ

---

[1]) Corp. inscript. gr. n. 255; *Ἐπιγρ. ἀνέκδ.* 1860 α'. n. 14; Ephem. arch. 4043 + 4044; Philist. II 187.

[2]) Philist. I 328, 11; in eo Menander est archon, quem Dumont Parisiensis (cf. censur. comment. m. epigr. in libro Revue critique d'histoire et de littérature a. 1870 n. 28 pag. 20) in Olymp. 185, 1 referri dicit. Philist. III 359, 5. Corp. inscript. gr. n. 2287. 2296, qui tituli sunt Deliaci, sed eius aetatis qua Delus facta iam est Attica cleruchia.

[3]) cf. commentt. m. epigr. p. 133 ss.

[4]) cf. Ephemer. archaeolog. 1870 n. 413.

Titulus est eiusdem fere generis ac tituli Corporis inscript. gr. n. 180—182; est enim particula descriptionis archontum vel tabulae magistratuum. in ea primo loco archon eponymus qui vocatur designari solet, sequuntur reliqui archontes, archon rex archon polemarchos sex thesmothetae; deinde additur Areopagi praeco (*κήρυξ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς* vel *κήρυξ βουλῆς τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου*, cf. C. I. n. 180), tum archontis praeco (*κήρυξ ἄρχοντος* vel *κήρυξ ἄρχοντι*), denique tibicen (*αὐλητής*) et liturgus (*λιτουργός*). sed haec de qua agitur magistratuum tabula paullo posterioris est aetatis quam titt. Corp. inscript. gr. n. 180—182. est enim in eam aetatem referenda qua strategus, qui *στρατηγὸς ἐπὶ τὰ ὅπλα* vel *στρατηγὸς ἐπὶ τοὺς ὁπλείτας* dici solet, et praeco tanta inter Athenienses magistratus florebant auctoritate ut ille proximum post archontem, hic tertium dignitatis gradum atque ordinem obtineret. qua de re conferas quae in commentationibus meis epigraphicis pag. 55 ss. attuli. illa autem aetate ceteri octo archontes, quippe qui in nullo tum essent numero, in huius generis tabulis omnino non perscripti videntur esse. hoc sane cernitur in inscriptione quam supra posui.

Iam quaeritur de primo huius tituli versu, in quo extant reliquiae ΣΙΙΑΡΧΣ. hic primo quidem adspectu putet quis supplendum esse ita ut fiat vocabulum *γυμνα*]*σίαρχο*[*ς*. at neque quicquam ab initio versus primi defractum esse perspicuum est et gymnasiarchi munus prorsus alienum est conmemorari in archontum tabula, cuius illud fragmentum est particula. sed versum primum a Pittacisio prave vel lectum vel descriptum esse facili negotio intellegitur. nam in litteris ΣΙΙ latet sine dubio scripturae conpendium quod significat *ἐπώνυμος*. et Pittacisius ipse in libro l'anc. Athènes p. 480 eiusdem fragmenti versum primum ita scripsit,

L ΙΩ ΑΡΧ

legas ΕΠΩ.ΑΡΧΩΝ

i. e. *ἐπώνυμος αρχων*.

et mirum est quod non iam pridem facta hac emendatione perquam facili, si modo est emendatio, Democrates ille, cuius integrum servatur nomen apud Pittac. l'anc. Athènes l. l., in archontum Atticorum numerum relatus est. desideratur enim adhuc apud Meierum[1]), Rhusopulum[2]), Westermannum[3]).

Illud vero quod qui vulgo simpliciter *αρχων* in titulis dicitur hic adpellatur *ἐπώνυμος ἄρχων* non habet in quo haereas. posteriore enim, inprimis imperatorum aetate cum alia mutaverunt plurima tum ab hoc dicendi usu antea constanti recesserunt, tamen ne hoc quidem certa quadam ratione usi, sed utcumque placebat. modo *ἄρχων* dicitur modo *ἐπώνυμος ἄρχων* vel *ἄρχων ἐπώνυμος* modo simpliciter *ἐπώνυμος*. exempli gratia adfero Corp. inscr. gr. n. 353 vs. 11 ss., ubi legis *ἐπὶ τῶν ἀρχόντων τοῦ τε ἐπωνύμου ἄρχοντος Φλ. Διογένους Μαραθωνίου καὶ τοῦ. ἐπὶ τὰ ὅπλα στρατηγοῦ Μ. Αὐρ. Ἀλκαμένους Λαμπτρέως καὶ τοῦ κήρυκος Κλ. Ἀττικοῦ Μαραθωνίου*, ex quibus verbis simul ille de quo supra dixi magistratuum ordo ac dignitas perspici potest; porro conferas

[1]) Index Atticorum archontum eponymorum qui post Ol. CXXI, 2 eum magistratum obtinuerunt. Hal. 1854.

[2]) *κατάλογος τῶν ἐν Ἀθήναις γενομένων ἀρχόντων*, qui catalogus adiunctus est libro Bojesenii in graecam linguam verso qui inscribitur *ἐγχειρίδιον τῆς Ἑλληνικῆς ἀρχαιολογίας*, *Ἀθήν.* 1861.

[3]) apud Pauly, Real-Encyclopädie cet. vol. I, 2 edit. II 1866 pag. 1476 ss.

Ephem. arch. n. 1385 (*τὸν ἐπώνυμον τῆς πόλεως ἄρχοντα κτλ.*), Ephem. 2355 (*ὁ ἐπώνυμος ἄρχων κτλ.*), ibid. 4008 (*ὁ δῆμος τὸν ἐπώνυμον ἄρχοντα*), Phil. IV 83, 3 vs. 8. 9 (*καὶ ἄρχοντα ἐπώνυμον*), denique C. I. gr. n. 281 et 320. satis igitur confirmata est res exemplis ex titulis repetitis.

Restat ut singula quaedam adnotem.

vs. 3. 4. extat *στρατηγὸς Νικάνωρ* ΝΕΟΣ . . . ., ubi falso supplevit Pittacisius legens *Νεοσ[τράτου*. facili negotio suppletur *νέος Ὅμηρος* aut *νέος Ὅμηρος καὶ νέος Θεμιστοκλῆς*. dubium enim non potest esse quin hic homo sit idem habendus qui iam pridem aliis ex titulis cognitus est: ex titulo primum a Pittacisio in libro l'anc. Ath. p. 493, deinde multo melius ex Mustoxidis schedis a Keilio in ephemeride Mus. Rhenan. XXVIII p. 46 ss. edito, in quo dicitur *Νικάνωρ νέος Ὅμηρος καὶ νέος Θεμιστοκλῆς, ἀγωνοθέτης σεβαστῶν ἀγώνων καὶ στρατηγός*; deinde ex tit. Corp. inscript. gr. n. 417; porro ex titt. Ephem. arch. n. 3454[1]) et n. 333, quorum verba hic excribere omitto. idem ergo cum hic intellegendus sit, si minus de certo huius archontis anno at de aetate tamen docemur. intellegitur enim ex illis titulis referendum eum esse in primum p. Chr. n. saeculum. quod reliquum est integrum fragmentum ita lego,

Ἐπώνυμος ἄρχων
Δημοκράτης
στρατηγός
Νικάνωρ νέος [Ὅμηρος
κῆρυξ τῆς ἐ[ξ Ἀρείου πάγου βουλῆς
. . . . . *θε* . . . .
κῆρυξ [ἄρχοντος ὁ δεῖνα
αὐλητὴς Νικίας
λειτουργὸς Ἰσίδ[ωρος.

---

3. Disseritur de titulo quodam, unde duorum archontum adhuc ignotorum nomina in lucem proferuntur.

In Pittacisii libro quem saepius supra conmemoravimus pag. 108 haec promulgata est inscriptio,

ΕΠΙΕΡΗΤΗΟΥΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΤΑΙΔΙΚΑΣΤΗΡΙ
ΟΣϽΛΑΚΚΙΑΔΗΣ
ΙΣΦΥΛΑΣΙΟΥΤΟΥ
ΣϽΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ
ΙΝΤΟΥΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΥΣ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣ
ΝΙΚΑΝΔΡΟΥΦΛΥΕΥΣ

---

[1]) idem titulus iam prius editus est a Pittacisio in libro l'anc. Athènes pag. 228.

ΕΡΜΕΙΟΣ
ΑΡΙΣΤΩΝΟΣΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΣΕΠΙΜΕΛΗΤΑΙΔΙΡ
ΣΤΡΑΤΩΝ)ΠΑΙΑΝΙΕΥΣΣΤΡΙ
ΠΑΙΑΝΙΕΥΣ
ΦΑΛΗΡΕΥΣΜΟΥΝΔΟΣ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣ
ΦΛΥΕΥΣ
ΑΔΙΣ
ΟΝΤΟΣΕΠΙ

cuius tituli verba ita reficio et lego,

Οἱ] ἐπὶ Ἑρμείου (?) *ἄρχοντος*
αἱρεθέντες ἐπιμελη]ταὶ δικαστηρί[ων
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος Λακκιάδης
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος Φυλάσιος
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος Μαραθώνιος
ὁ δεῖνα Κο]ΐντου (?) *Κυδαθηναιεύς*
γραμματεῖς
ὁ δεῖνα Νικάνδρου Φλυεύς
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος Ἕρμειος
Οἱ ἐπὶ] Ἀρίστωνος ἄρχοντος
αἱρεθέντε]ς ἐπιμεληταὶ δικ[αστηρίων
Στράτων Στράτωνος Παιανιεύς[1])
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος Παιανιεύς
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος Φαληρεύς
Μοῦνδος τοῦ δεῖνος . . . . . .
γραμματεῖς
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος Φλυεύς
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος Ἰφιστι]όδης (?)
Οἱ ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχ]οντος ἐπι[μεληταί
. . . .

exhibentur hoc titulo vs. 1. 10 duo archontes eponymi qui adhuc in fastis desiderantur, immerito. nam *Ἀρίστωνος* quidem nomen vs. 10 ita planum et perspicuum est in titulo ut de hoc omnino non possit dubitari. alterum autem nomen est sane corruptum, nam quod Pittacisius vs. 1 descripsit ΕΡΗΤΗΟΥ, ex quo nominativus casus *Ἐρητηος* efficitur, nullum est nomen notum neque potest formari. supra in suppleto titulo posui *Ἑρμείου*, coniectura usus quae non omni caret probabilitate. hoc enim nomen litteris traditis proxime accedat. conpares ΕΡΜΕΙΟΥ cum eo quod Pittacisius legit ΕΡΗΤΗΟΥ, et illud nomen paene ipsis litteris monstrari vix negaveris. quamquam pro explorato non statuam.

---

[1]) quid velint litterae ΣΤΡΙ quae post Paianiensis vocabulum Pittacisius scripsit non possum perspicere.

Atque haec quidem de his archontibus in fastos recipiendis. relinquitur ipsum tituli argumentum. quod ut recte intellegi possit, si modo poterit, adprime necesse videtur quaerere in quam aetatem titulus referendus sit. atque Romanis dominantibus eum sculptum esse documento sunt Mundi (vs. 15) et Quinti (vs. 6) nomina Romana. sed nescio an etiam angustioribus finibus res possit conprehendi. nam legitur

vs. 3 . . . ΟΣϽΛΑΚΚΙΑΔΗΣ
vs. 5 . . . . ΣϽΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ
vs. 12 ΣΤΡΑΤΩΝϽΠΑΙΑΝΙΕΥΣ

hic semicirculus Ͻ est conpendium scripturae quod patris nomen idem esse significat. et sexcenties reperitur in titulis imperatorum aetate scriptis, numquam, quod sciam, ea quae antecessit. ut illi aetati hunc quoque titulum esse adtribuendum non sine iusta causa censeam. sed ea aetate Atheniensium res domesticae quae qualesque fuerint adeo non apertum est ut mirari non oporteat quod plura cognoscuntur hoc titulo quae unquam Athenis instituta fuisse nulla ad hunc diem facta est notitia. videtur autem fragmentum amplioris fuisse tabulae publicae particula, in quam per plures deinceps annos, quorum cuique eponymus archon erat praescriptus, quaterni *ἐπιμεληταὶ δικαστηρίων* et bini *γραμματεῖς* relati erant. utrum *δικαστηρί*[*ων* an *δικαστηρί*[*ου* veri similius esset diu haesitaveram; sed utrumque fieri potest, cum nihil, ut dixi, de his rebus, ne de numero quidem iudiciorum, ex ea aetate innotuerit. et in medio illud reliqueram cum conscripta demum hac dissertatione incidi in aliud fragmentum plane eiusdem generis, quod Rangabeus bis in medium protulit[1]). pono huc et significo litt. B, ne ubi infra conmemorem longior sim,

B. ΥΝΙΕΩΣΑΡΙΣΤ
ΔΙΚΑΣΤΗΡΙΩΝ
ΚΗΦΙΣΙΟΣ
ΠΟΛΙΟΥΧΟΣΔΕΙΛΗ
ΠΑΙΑΝΙΕΥΣ
ΕΠΙΓΟΝΟΥΑΝΑΓΥΡΑΣΙΟΥ
ΤΕΙΣ
ΤΩΝΩΔΕΑΡΙΣΤ
. . . . . Σ . . .

verba sunt haec fere,

Οἱ ἐπὶ τοῦ δεῖνος Σο]*υνιέως ἄρ*[*χοντος*
αἱρεθέντες ἐπιμεληταὶ] *δικαστηρίων*
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος Ἐπι]*κηφίσιος*
ὁ δεῖνα] *Πολιούχο*[*υ Μ*]*ελιτ*[*εύς?*[2])
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος Παιανιεύς
ὁ δεῖνα Ἐπιγόνου Ἀναγυράσιο[*ς*
γραμμα]*τεῖς*
? *Ἀρίσ*]*των Ἀρίστ*[*ωνος?* . . . . .
ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος . . . .

hoc fragmento id docemur de quo supra dubitavimus; adparet ibi quoque reficiendum esse

---

1) cf. Antiquités helléniques n. 572 et n. 1627. desumpsit titulum Rangabeus ex Pittacisii libro l'anc. Ath.; bis eum titulum se descripsisse ipsum fugit.

2) in n. 527 Rangabeus exhibet *Πολίουχος*, contra in n. 1267 *Πολιούχος*. utrum sit verum non liquet, neque ad manum mihi est Pittacisii liber.

vocabulum *δικαστηρίων*, non *δικαστηρίου*. erant igitur illa aetate Athenis conplura iudicia, certe duo; hoc enim quasi quadam necessitate efficitur ea re quod bini cuiusque anni designantur scribae, unum autem pluribus iudiciis operam dedisse non est probabile. at quaterni cuiusque anni *ἐπιμεληταί* vel procuratores sunt in tabula. sane, sine dubio singulis iudiciis bini praeerant procuratores, quorum alterum quemque coniecerim fuisse archiprocuratorem, novo si licet uti vocabulo. et iudiciorum alterum fortasse causis publicis, privatis alterum constitutum fuit. *ἐπιμελητάς* vero qui vocantur antiquiore quidem tempore semper creatos fuisse constat; itaque supra supplevi *αἱρεθέντες*, ex quo vocabulo Σ littera superest. ceterum iudicum officio hos non functos esse per se patet, minus est perspicuum quale fuerit eorum munus.

Sed restat aliud memoratu dignum et id satis mirum. bini enim procuratores qui primo quoque loco scribuntur eiusdem sunt tribus. nam

in fragmento A. extant demotica

vs. 3. 4. *Λακκιάδης* et *Φυλάσιος*, utrumque Oeneidis
vs. 12. 13. *Παιανιεύς* et *Παιανιεύς*, „ Pandionidis

in fragmento B. videtur fuisse, recte si supra suppleverim,

vs. 3. 4. *Ἐπικηφίσιος* et *Μελιτεύς*[1]), utrumque Oeneidis.

accedit quod qui tertio et quarto quoque loco scripti sunt *ἐπιμεληταί* semper ex Aeantide et Pandionide tribubus orti videntur fuisse. legitur enim

in fragm. A.	vs. 5.	*Μαραθώνιος*	Aeantidis
	vs. 6.	*Κυδαθηναιεύς*	Pandionidis
	vs. 14.	*Φαληρεύς*	Aeantidis
	vs. 15.[2])	evanuit demotic.	?
in fragm. B.	vs. 5.	*Παιανιεύς*	Pandionidis
	vs. 6.	*Ἀναγυράσιος*	Aeantidis

sane hoc satis mirum et quod vix casu factum sit, cum praesertim scribarum quoque similis videatur fuisse demoticorum ratio, certe in fragmento A; in altero fragm. non supersunt horum demotica. etenim in fragm. A.

vs. 8	scriba est	*Φλυεύς*	i. e. Cecropidis	tribus
vs. 9	„ „	*Ἕρμειος*	„ Acamantidis	„
vs. 17	„ „	*Φλυεύς*	„ Cecropidis	„
vs. 18	esse potest	*Ἰφιστιάδης*[3]) aut *Κυρτιάδης*	„ Acamantidis (?)	„

---

[1]) quae restant ex demotico, ΔΕΙΛΗ, sunt depravata; nullius enim demotici vocabulum ita incipit. fuisse videtur scriptum aut *Κειριάδης* aut *Μελιτεύς*, quorum hoc ego praefero. ponas restare in lapide ΜΕΛΙΤ et inter Ε et Λ litteras rimam esse lapidis quam Pittacisius Ι litteram esse censuerit, et quam facile illud legatur nemo non videt. ceterum adnoto *Μελίτην* demon, ut graecum retineam vocabulum, aliquando Oeneidis tribus fuisse ex Stephano constare.

[2]) huc posui Mundi nomen ex fine versus qui antecedit, ubi totum huius inscriptionis ordinem turbat. est ille haut dubie quartus illius anni *ἐπιμελητής*, qui aliter desideraretur, et nescio an Pittacisii incuria eo relatus sit.

[3]) in lapide nihil superest vs. 18 nisi ΑΔΙΣ, in quo *ιαδης* litteras latere et eas quidem restare puto ex demotico quod in *-ιάδης* desinat. apta sunt plura, sed si versus noni analogia uti licet suppleri potest ita ut aut *Ἰφιστιάδης* aut *Κυρτιάδης* legatur.

Totus hic tribuum consensus tam perspicuus est adeoque sponte sua incurrit in oculos ut forte factus esse nequeat. sed qui explicanda sit et res ipsa et haec tribuum convenientia viderint doctiores, ego omni abstineo coniectura.

Haut inutile esse ratus hanc subiungo tabulam, ex qua uno possit obtutu oculorum cognosci ea quae in his titulis rerum dispositio est et quasi concentus.

Fragmentum A.

1.	a.	ἐπιμελητής	qui est ex tribu	Oeneide
		ἐπιμελητής	„	Oeneide
	b.	ἐπιμελητής	„	Aeantide
		ἐπιμελητής	„	Pandionide
	c.	γραμματεύς	„	Cecropide
		γραμματεύς	„	Acamantide
2.	a.	ἐπιμελητής	„	Pandionide
		ἐπιμελητής	„	Pandionide
	b.	ἐπιμελητής	„	Aeantide
		ἐπιμελητής	„	?
	c.	γραμματεύς	„	Cecropide
		γραμματεύς	„	Acamantide (?)

Fragmentum B.

1.	a.	ἐπιμελητής	qui est ex tribu	Oeneide
		ἐπιμελητής	„	Oeneide
	b.	ἐπιμελητής	„	Pandionide
		ἐπιμελητής	„	Aeantide
	c.	γραμματεύς	„	?
		γσαμματεύς	„	?


Quod superest illud tacere nolo veri admodum esse simile fragmentum B. eiusdem olim fuisse tabulae ac fragm. A, fortasse etiam nullo negotio coniungendum cum ipso ultimo versu fragm. A, ita quidem ut fini primi versus fragm. B adiungatur versus 18 fragmenti A (*οντος ἐπι-*); sic, opinor,

οἱ ἐπὶ τοῦ δεῖνος Σο]υνιέως ἄρ[χ]οντος ἐπι-
μεληϰαὶ] δικαστηρίων

quamquam certum de hac re iudicium poterit is demum facere qui utrumque lapidem ipse praesens viderit.

4. De titulo Corp. inscript. gr. n. 276 cum alio quodam fragmento conponendo disseritur.

In tabula quam adiunxi conposui duo fragmenta catalogi epheborum, quorum alterum, quod litt. A significavi, in Corp. inscr. gr. n. 276 exhibetur, alterum, quod litt. B distinxi, edidit Conze in ephemeride Archaeolog. Zeitung a. 1864 n. 185; illud Athenis servatur, hoc in villa Marburg Hall prope Hartford sita. atque illud quidem postea, quam a Whelero Sponio aliis lectum et descriptum est, fractum esse necesse est plures in particulas quae deinde alia ab alia seiunctae temere dispergerentur. adparet hoc ex fragmento quodam quod Pittacisius, qui in Ephemeride archaeol. n. 50 edidit, anno demum 1838 in arce repertum esse adfirmat. est autem hoc



hoc fragmentum non alterius exemplaris, sed eiusdem inscriptionis quam supra litt. A notavi esse particulam certo confirmabit qui paullo adcuratius fragmenta inter se conparaverit, ut argumentis demonstrare non opus sit. quodsi tit. Ephem. arch. n. 50 particula est fragmenti Corp. Inscr. gr. n. 276, ille non nihil habet momenti, quod cum lithographica descriptio sit perspicue indicat in ea inscriptionis pagina in qua *γυμνασίαρχοι* perscripti erant singula mensium nomina sculpta paullum extare supra gymnasiarchorum nomina, quod ex titulo Corp. inscr. l. l. utpote typis expresso adgnosci non potest. quae res inter argumenta est quae sum prolaturus ad id quod proposui demonstrandum.

Adfirmo enim, ut iam initio dixi, fragm. A cum fragm. B ea ratione esse coniungendum quae ex tabula perspici potest. sed ne quid taceam adnoto lineolas illas quibus fragmenta circumscripsi a me ipso esse additas; feci illud ut rem magis illustrarem.

Epheborum catalogi, quo ex genere sunt illa fragmenta, cum universe quidem et generatim omnes eodem habitu ac forma esse soleant, in singulis tamen rebus et disponendis et collocandis tantum alius ab alio discrepant ut ne duo quidem omni ex parte inter se consentiant. quapropter hoc ex genere cum repereris quaedam fragmenta ita conparata ut per se possint conponi, si amplius quinque res accedunt quae in utroque

A = Corp. inscript. n. 276. B = fragm. in ephem. Arch. Zeitg. 1864 n. 185.

A.

Ὁ κοσμητὴς τῶν ἐφήβων Μάρκος
Ἰούλιος Ζήνων Μαραθώνιος καὶ ὁ
ἀντικοσμητὴς Ὀφίλλιος Ἀρίστων Κολλυτεὺς
τούς τε συνάρχοντας καὶ τοὺς ἐφηβεύσαντας
ἐπὶ ἄρχοντος Φιλοτείμου τοῦ Ἀρκεσιδήμου Ἐλευ-
σίνου ἀνέγραψαν ☙ παιδοτριβοῦντος διὰ βίου Ἐπικτή-
του τοῦ Φιλέρωτος Σφηττίου ἔτος ῑ, γραμματεύοντος
διὰ βίου Στράτωνος τοῦ Κιθαιρῶνος Ἀχαρνέως.

Σωφρονισταί

Ἀριστόβουλος Συμμάχου Μαρ
Π. Αἴλιος Ἐπίγονος Χολαρ
Ἀριστόβουλος Ἀπολλωνίου Πει-
Συμφέρων ↄ ἐξ Οἴου ☙
Ἀγαθήμερος Πρώτου Παλλη-
Ἐλευσείνιος Μηνοδώρου Δειρ-

Ὑποσωφρονισταί

Σεραπίων Ἰσοφίλου Γαργήττ.
. . . .
. . . .

Γυμνασίαρχοι

Βοηδρομιῶνα Ἰού-
λιος Εὐφράνωρ Μα-
ραθώνιος στρατηγός
Πυανοψιῶνα Δημή-
τριος Μάρκου Βησαιε-
Μαιμακτηριῶνα Σύμ-
μαχος Ἀριστοβούλου
Μαραθώνιος.
Ποσειδεῶνα Ἀρτέ-
μων Μηνοδώρου
[Γαργήτ]τιος
[Ἀδριανιῶνα] ὁ δεῖ-
να τοῦ δεῖνος
τοῦ δεῖνος δήμου
[Γαμηλιῶνα] ὁ δεῖνα
τοῦ δεῖνος τοῦ
δεῖνος δήμου
καὶ ὁ δεῖνα τοῦ
δεῖνος τοῦ δεῖνος δήμου
[Ἀνθεσθηριῶ]να Ζώ-
πυρος? Προς]δέκτου Φαλη-
[Ἐλα]φηβολιῶνα Λολ-
[λι]ος Ἀσκληπιά-
[δου τοῦ δεῖνος δήμου
[Μουνιχιῶνα Κορ-]
[νή]λιος Ἀρ[τέ-]
[μων τοῦ δεῖνος δήμου]
[Θαργηλιῶνα ὁ δεῖ-
να τοῦ δεῖνος τοῦ
δεῖνος δήμου]
[Σκιροφοριῶνα ὁ δεῖ-
να τοῦ δεῖνος τοῦ
δεῖνος δήμου καὶ?]
//////τώνιος Ἰν///////
Μαραθών[ιος]
Ἑκατονβαιῶν(α) Κορ-
νήλιος Ἀρτέμων
Μεταγ[ειτν]ι[ῶνα] Λόλ
[λιος Ἀσκληπιά-]
[δου? . . . .
. . . .
. . . .

Πτολεμαΐδος

Διόδωρος Συμμάχου
Δημήτριος Συμμάχου
Νικόμαχος Ἀφροδεισίου
Σωτὴρ Καλλιτύχου
Εἰρήναιος Καλλιτύχου
Ἀσκληπιάδης Καλλιτύχου

Ἀκαμαντίδος

Σώτας ↄ
Εὐτυχιανὸς Σώτου
Π. Αἴλ. Ἐπίγονος
Π. Αἴλ. Ἀσιατικός
Φίλιστος Ἐπαγάθου
Ἀριστόβουλος ↄ

Ἀδριανίδος

Ἑρμείας Εἰσιδώρου
Λιγυρὸς Ἄνθου
Ἀ . . . Ἄνθου
. . . .
. . . .
Νικη . . . .
Γενέθλιος [ↄ]
Διονυσόδωρο[ς] /////
Νεικοφῶν ↄ
Ἀρτέμων Ἐπι///////
Μουσαῖος Ἐπ///////
Ἀ]ντίλοχος //////
Ἀντ]ίοχος //////
Ζ]ώσιμος ↄ
Μ]όσχος ↄ

Οἰν[ηΐδ]ος

. . . . . . ιο . . . . .
. . . . . πολ . . . δ//////
Εἰσίδοτος /////
////////ς Ἀφροδ[εισίου]

Κεκροπίδος

. . . . . νόδωρος Δ//////
Ἑρμαίας Κρατο//////
Σωτήριχος ////////
Πρεῖμος Πυθο//////

Ἱπποθωντί[δος]

Νείκων Ἀριστοβούλ[ου]
. . . . ώνιος //////////

Ἐπένγραφοι

Ἰού. Τρόφιμος
Φίλητος
Ζώσιμος
Μάξιμος
Χρυσὸς Εἰσιδότου
Νέων Τροφίμου
Ἀγαθήμερος
Ἀρτεμίδωρος Ζωσίμου
Διονύσιος Ἀφροδεισίου
Ζώσιμος ὁ καὶ Βασιλεοδώ-
Κλ. Μάρων
Στέφανος
Εὔκαρπος
Φλ. Πρεῖμος
Ἀθήναιος Εἰσιδότου
Μυρίσμος Ἀσκληπιάδου
Ἀθηνίων
Σωτᾶς
Ἀγαθόπους Γοργίου
Ἀθηνόδωρος Εὐφροσύνου
. . . .
. . . .

B.

fragmento plane sibi respondent et congruunt, ea fragmenta ut non conponas vix tibi persuadeas. atqui hoc ipsum huc convenit. fragmenta enim de quibus agitur hisce in rebus prorsus inter se consentiunt:

1. ac primum quidem in fragm. B a sinistra parte eius paginae in qua ephebi per tribus dispositi leguntur perscripti sunt gymnasiarchi adiunctis mensium nominibus. idem est in fragm. A. et ita res se habet ut cum fragm. B ipsi inferiori parti fragmenti A adieceris continuae fere fiant paginae et gymnasiarchorum et epheborum per tribus dispositorum; atque adeo integram habebis continuationem eius paginae in qua tribuum series et ephebi per has dispositi sunt. nam in fragmento A. tribuum series interrumpitur Hadrianide tribu, ad Hadrianidem spectant nomina quibus incipit ea fragmenti B. pagina quae illi quasi respondet. sed alterius quoque paginae adcurata efficietur perpetuitas cum duo illa mensium nomina quae defracta sunt refeceris.

2. deinde vero in ea fragmenti A. pagina in qua ephebi tributim scribuntur epheborum nominibus non addita sunt demotica, quod plerumque fit. idem observatur in altero fragmento; in utroque solum patrum nomina adiciuntur.

3. tum sculptor in gymnasiarchis perscribendis in utroque fragmento plane eadem usus est ratione. videlicet singula mensium nomina versuum obtinent initium; tum sequuntur ex gymnasiarchi nomine tot litterae quot spatium capit, ceterae in sequentibus versibus ita scribuntur ut mensis nomen paullum emineat vel extet. atque hanc scribendi rationem revera in fragm. A. obtineri si minus elucet ex tit. Corp. inscript. l. l. ut qui typis expressus sit, attamen ex fragmento Ephem. arch. n. 50 perspicitur, quod eam ob causam supra attuli. tamen ne censeas forte illud factum esse vide quam varia sit aliis in catalogis huius rei ratio:

in tit. *Ἐπιγραφ. ἀνέκδ.* 1860. *α'*. n. 15 ita scribitur

Ἀνθεστηριῶνα
Ἀσκληπιόδοτος
Ἐλαφηβολιῶνα
Κλ. Λυσιάδης
κτλ.

in tit. Ephemer. arch. 1870 n. 413 sic,

Ἀπελλῆς Ἀπελλοῦ Ἐρχιεὺς Πυανο-
Ἄλκιμος Ἀλκίμου Βησαιεὺς Μαιμα-
Ἀρτέμων Κορινθίου (?) .... *Ποσει- κτλ.*

in tit. Philist. IV, post pag. 344 n. 2 hac ratione

Σκει. ὁ δεῖνα
Ἑκα. ὁ κοσμητής
Μετα. Ἀττικός

in tit. Philist. IV. post pag. 344 n. 4 ita,

Μεσ. Σωκράτης
μη̃. Βοηδρομιῶνα
Βυανοψιῶνα
Μεσ. Κνέστωρ
μη̃. Ἑκατομβαιῶνα
Μεταγειτνιῶνα κτλ.

in tit. Philist. IV post pag. 559 n. 3 hac ratione

Βοη — ὁ στρατηγὸς Διονύσιος Φιλοτίμου Λευκον-
Πυα — Συμφέρων Ἀριστοβούλου Πειραιεύς
Μαι — Κλ. Σύντροφος Ἀχαρνεύς. κτλ.

in tit. Philist. p. p. 522 n. 7 ita,

Βοηδρομιῶνα Εἰσίδοτος
Φυλάσιος καὶ ἠγωνο-
θέτησεν Ἀντινοείων
τῶν ἐν Ἐλευσῖνι.
Πυανοψιῶνα Φλά. Μάϊ —
ορ Ἀθμονεύς. κτλ.

in tit. apud Ross de dem. pag. 30 n. 8 sic scribitur

Ἀχαρ. Μαιμακτηριῶνα Ὀ ..... Ποσειδεῶνα
Ἀλέξανδρος Φα˜.. ἀγω˜ Γερμανικείων καὶ .....Ἀ-
θηνιανὸς Ἰταῖ᾽. Γαμηλιῶνα .... κτλ.

denique in tit. Philist. II p. pag. 428 mensium nomina plane omittuntur et sola gymnasiarchorum nomina perscribuntur.

Tanta est rei varietas et singulorum discrepantia.

4. accedit quod in utroque fragmento pagina qua gymnasiarchi continentur admodum angusta est.

5. porro in utroque fragmento quod in tribuum serie non factum videmus, ut videlicet demotica addita sint singulis ephebis, fit in gymnasiarchis.

6. denique ii ephebi qui in gymnasiarchorum numero sunt redeunt neutro in fragmento in tribubus, cum tamen aliis in catalogis contrarium plerumque observetur.

Restat ut ne illud quidem omittam quod litterarum ductus congruunt: in neutro fragmento exhibentur litterarum formae Є C ω, quamvis sint fragmenta eius aetatis qua hae quoque formae usui erant.

Haec habeo quibus sententiam meam conprobari velim. sane quidem facere non possum quin non ea esse concedam ut extra omnem res posita sit dubitationem neque ei restet scrupulus qui demum consentiat cum aut oculis rem viderit aut ne tantillum quidem argumentationis desideraverit. sed facilius adsentiatur qui diu multumque hisce in rebus versatus sit.

Rem ipsam in qua titulus versatur hic exponere non opus esse existimo; satis est intellegere catalogum esse epheborum, quales plurimi Athenis reperti sunt. qui adcuratius de his catalogis et universis de epheborum rebus velit doceri cognoscet quaecumque huc pertinent ex Dittenbergeri dissertatione de ephebis atticis scripta et quaedam ex comment. meis epigraphicis. quod autem ad aetatem illius catalogi attinet referendus est in a. 190—200 p. Chr., quod in comment. m. epigr. p. 118 exposui. archon vero qui in titulo conmemoratur, *Φιλότειμος Ἀρχεσιδήμου Ἐλεύσιος*, doleo quod in archontum indice a me confecto in com. m. epigr. typographi culpa omissus est, quod sero animum adverti. quapropter quoniam occasio oblata est facere non possum quin illud emendari cupiam.

5. Conponenda esse proponitur fragmenta quaedam catalogi epheborum.

Subiunxi infra duo fragmenta ad epheborum res pertinentia, quae cum coniungenda esse censeam non ignoro sententiam me proferre quae fortasse non omnibus probetur. coniectura est, sed quam non carere putem veri similitudine. neque plus ei tribui volo quam ipsa fert rei natura. sed videas ipse quibus rebus movear illud ut existimem.

Primum enim utrumque fragmentum prorsus eiusdem est generis; est particula catalogi epheborum et eius quidem partis in qua gymnasiarchi per menses scripti erant. deinde utrumque pertinet ad sinistrum lapidis marginem; quod de fragm. I Cumanudes, qui edidit, adnotavit; de altero docet lithographica descriptio. tum in utroque eadem est rei dispositio et ordo: singula mensium nomina singulos occupant versus, ita tamen ut ab initiis versuum paullum revocata sint; pari modo in utroque singula gymnasiarchorum nomina per singulos versus sunt scripta. accedit quod gymnasiarchis in neutro addita sunt nec patrum nomina nec demotica, quod in aliis titulis eiusdem generis plurimis fieri soleat. denique cum alterum alteri adiunxeris ea fiet rei continuatio et perpetuitas qua integra efficiatur et mensium et gymnasiarchorum series. adeo arte cohaerent et possunt aptari.

Sed adferam fragmenta ipsa, quorum alterum (I) minusculis litteris editum sumpsi ex Philist. III 451, 2 (fragm. a.), alterum (II) ex libro qui inscribitur *Ἐπιγραφαὶ ἀνέκδοτοι* 1860. α΄. n, 15.

I.

. . . .
Ἐπίγονος
Ἔκλεκτος Στειριεύς
γυμνασίαρχοι
Βοηδρομιῶνα
Στάτιος Γλαῦκος
Πυανοψιῶνα
Κλ. Ἀφροδείσιος
Μεμακτηριῶνα
Μέμμιος Ἐπίκτητος
Ποσειδεῶνα
Μέμμιος Ἀττικός
(Ἀδ)ριανιῶνα
Γ . . . .

II.

ΟΣ
ΓΑΜΗΛΙΩΝΑ
ΙΤΙΑΝΟΣ
ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝΑ
ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ
ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝΑ
ΚΛ Χ ΛΥΣΙΑΔΗΣ
ΜΟΥΝΙΧΙΩΝΑ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ
ΣΥΣΤΡΕΜΜΑΤΑΡΧΑΙ
ΚΛΧΛΥΣΙΑΔΗΣ
ΣΩΣΙΜΟΣΣΩΣΙΜΟΥΒΗΣΑΙ
ΤΙΤΙΑΝΟΣ
ΦΙΛΑΘΗΝΑΙΟΣ
ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ
ΣΩΣΙΜΟΣ
ΑΓΑΘΟΚΛΗΣ
ΕΡΕΧΘΕΙΔΟΣ
ΚΛΑ ΚΑΡΠΙΩΝ
ΦΙΛΟΚΛΗΣΕΥΠΟΡ
ΟΛΕΙΣΙ

ΑΒ
C
ΑΥΡ
Ↄ
ΑΥΡ
Ι
Η
Ε
ΓΕΛ
Υ
Α
Ι
Α

hac autem ratione censeo ea fragmenta esse coniungenda,

Ἐπίγονος
Ἔκλεκτος Στειριεύς
γυμνασίαρχοι
Βοηδρομιῶνα
Στάτιος Γλαῦκος I.
Πυανοψιῶνα
Κλ. Ἀφροδείσιος
Μεμακτηριῶνα
Μέμμιος Ἐπίκτητος
Ποσειδεῶνα
Μέμμιος Ἀττικός
Ἀδριανιῶνα
Γ . . ος
Γαμηλιῶνα
Τιτιανός
Ἀνθεστηριῶνα
Ἀσκληπιόδοτος
Ἐλαφηβολιῶνα II.
Κλ. Λυσιάδης
Μουνιχιῶνα
Διονύσιος
Συστρεμματάρχαι
Κλ. Λυσιάδης
Ζώσιμος Ζωσίμου Βησαι
Τιτιανός
Φιλαθήναιος
Ἀσκληπιόδοτος
Ζώσιμος
Ἀγαθοκλῆς
Ἐρεχθεΐδος
Κλα̅. Καρπίων
Φιλοκλῆς Εὐπόρ.
οδεισι

Quae sententia si vera est efficitur ut aliud quoddam eiusdem lapidis fragmentum, ab eodem homine edito in Philist. l. l. n. b., quod et ipsum ad sinistrum marginem pertinet, supra adiungendum sit; infra enim, quod ex fragm. II perspicuum est, sequebantur ephebi per tribus dispositi; illud autem fragmentum (b) continet partem agonothetarum et non nullos gymnasii magistratuum; quos sine dubio sequebantur *σωφρονισταί* et *ὑποσωφρονισταί*. et horum ex numero videntur fuisse duo illi homines qui vss. 1. 2 fragm. I conmemorantur, *Ἐπίγονος* et *Ἔκλεκτος Στειριεύς*. ceterum sculptus est titulus circiter annum 200 p. Chr.

6. Titulus sepulcralis in medicum scriptus reficitur.

In Ephemeride archaeologica n. 3077 exhibetur hoc tituli fragmentum,

ΟΝΤΑΚΑΙΕΙΗΤΗΡΑΕΠC
ΝΗΣ¯ΟΝΑΓΕΥΜΑΚΑΡΩΝ
ΝΗΔΗΡΩΩΝΓΕΝΟΣΑΛΛΩΝ
ΙΗ . . ΕΙΣΟΝΕΧΟΝΤΑΓΕΡΑΣ

quod cum neque emendatum adhuc expletumque sit et ea quae Pittacisius, qui edidit titulum, protulit supplementa sint insulsa, restituturus sum quantum fieri potest si non ipsa verba at sententiam tamen. supplet autem Pittacisius ita,

Ἄρχ]οντα καὶ εὐητῆρα ἐπ[ώνυμον
Πολύμ]νηστον, ἀγ' εὖ Μακάρων
Θεῶ]ν ἠδ' Ἡρώων γένος ἄλλων
. . . . ιη . . εἶσον ἔχοντα γέρας

quae inepta esse nemo non videt. versus fuisse perspicuum est. atqui vs. 2 haut dubie legendum est *νῆσον ἄγειν μακάρων* et vs. 4 plana sunt verba *εἶσον ἔχοντα γέρας*. erant igitur duo omnino disticha, et ea quidem in medicum defunctum scripta fuisse efficitur vs. 1, in quo legas *εἰητῆρα* i. e. *ἰητῆρα*. iam singula videamus.

vs. 1. vocabulo *εἰητῆρα* praecessit *καί* particula et accusativus casus vocabuli cuiusdam in *ων* cadentis, ex quo restant litterae *οντα*. Pittacisius de *ἄρχοντος* vocabulo cogitavit sine causa, cum aliud fuisse veri sit simile quod ad medici officium proprius accedat aut similem habeat vim ac vocabulum *ἰητήρ*. ac primo quidem quaerenti mihi quod huc caderet vocabulum oblatum est *Παιῶνος θεράποντα*; quod haut mediocrem veri similitudinis speciem habere videbatur, cum meminissem medicos in poetica oratione saepius conpellari *Παιονίδας* vel *ἐκγόνους Παιῶνος*. exempli gratia adfero ex sepulcrali quodam titulo[1]) haec verba,

Πάσῃ κοσμηθεὶς ἀρετῇ, Γειτάνιε δεῖε,
ἔγγονε Παιῶνος, νῆσον ἔχεις μακάρων

unde etiam hoc intellegi potest fixas fuisse in eius generis titulis certas quasdam locutiones. ut igitur hic dicitur *ἔγγονος Παιῶνος*, sic in titulo de quo agitur non minus apte dicatur *Παιῶνος θεράπων*. cum enim reges apud poetas adpellentur *Διὸς θεράποντες*, bellatores *Ἄρηος θεράποντες*, poetae *Μουσάων θεράποντες*, cur non pari modo medici dicantur *Παιῶνος θεράποντες*? nihilo tamen secius non puto scribendum esse vs. 1

Παιῶνος θεράπ]οντα καὶ εἰητῆρα ⏑ — ⏓

etsi enim vox *Παιῶνος θεράπων* non plane idem significat atque *ἰητῆρος* vocabulum, hoc enim vocabulo alterum certis circumscribitur finibus, ut aliquo modo dici possit *Παιῶνος θεράποντα τὸν ἰητῆρα κτλ.*, at tam adfinis tamen utriusque est vis vix ut credam haec duo vocabula, poeticae illud, hoc solutae orationis, particula *καί* coniuncta ab eo esse scripta qui confecit titulum. est sane titulus aetatis eius ex qua qui extant tituli

[1]) promulgatus est a Kirchhoffio Hermae tom. IV p. 425 ss.

versibus scripti fere peioris sunt notae, sed illud esset nimium scriptori concedere. neque aliud tamen vocabulum potui indagare quod et sententiae aptum et reliquiis sit accommodatum, nisi forte legi posse censetur *τὰς νούσους παύοντα* aut *νούσους ἠπιάοντα*. sed si licet audaciorem esse coniecerim hominem illum medicum eundemque poetam fuisse, ut scribi possit *Μουσάων θεράποντα καὶ εἰητῆρα* .....

Litterae quae in fine versus primi restant ΕΠC nominis proprii reliquiae mihi videntur fuisse, quo versus finiebatur. evanuerunt duae vel tres litterae. conveniunt autem huc duo tantummodo nomina, *Ἔποικος*[1]) et *Ἐποφρᾶς*[2]). sed hoc alterum sine dubio depravatum est, sive a Cumanude inter legendum sive a sculptore; nam *Ἐποφρᾶς* nullum est nomen neque potest esse, sed potius scribendum est *Ἐπαφρᾶς* i. e. *Ἐπαφρόδειτος*. restat ergo alterum. quamquam ne hoc quidem probabile videatur, cum si illud scripseris vocalium concursio vel hiatus efficiatur, quem ne huius quidem aetatis titulo dandum esse putem.[3]) itaque Kirchhoffii sententiam tueor suspicantis in nominis reliquiis quas Pittac. exhibet ΕΠC latere fortasse litteras ΣΙΠΣ quae nullo negotio nomen ΣΙΜΩΝΑ reddunt, omni modo aptum. admodum levis utique est emendatio, cum et litterae Ε et Σ sexcenties in legendis titulis permutari soleant et littera Ι facillime omittatur.

vs. 2. lego, ut iam dixi, *νῆσον ἄγειν μακάρων* i. e. ad beatorum insulam ducere. in initio pentametri verbum regens fuerit, ex quo et versus primus pendet et *ἄγειν* infinitivus consilium ac propositum significans. verba autem huius sententiae fere ea fuerint oportet quae tali in re saepius epigrammata offerunt, veluti *ἥρπασέ τις δαίμων*, *ἥρπασας ὦ Ἀΐδη*, *Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο*[4]). ut exempli causa versus ita refici possit,

Ἥρπασέ τις δαίμων] νῆσον ἄγειν μακάρων

aut ita,

Ἥρπασαν Ἅρπυιαι] νῆσον ἄγειν μακάρων,

sed illud praetulerim.

vss. 3. 4. huius distichi sententia ea fere videtur fuisse, *ubi heroes comitèr te acceperunt ut cui idem honos atque ipsis tributus esset.* exempli gratia restituo sic,

Οὗ σε κλυτὸς Παιώ]ν ἠδ' ἡρώων γένος ἄλλων
Δέκτο μετὰ ξεν]ίη[ς], εἶσον ἔχοντα γέρας.

Παιῶνος vocabulum dedi, cum et litterae Ν quae superest respondeat et defuncti muneri.

---

[1]) reperitur apud Rangab. antiq. hellén. II n. 882 vs. 45.

[2]) adfertur a Benselero ex Philist. tom. IV fasc. 3. ceterum nolo tacere nomen *Ἐπόκιλλον*, omni ratione hic aptum, ideo a me omissum esse quod est Macedonis neque ullo loco adhuc Atheniensi inditum.

[3]) scriptura *εἰητῆρα* pro *ἰητῆρα* et *εἶσον* pro *ἶσον* Romanorum dominationis, forma litterae Μ etiam distinctius imperatorum aetatem prodit. et sane in illius aetatis titulis versibus scriptis multa insunt quae aut ab verbis aut ab sententiarum nexu minus probari possint, atque adeo fit ut grammaticis formis vis inferatur; veluti producta syllaba corripitur numeri causa, quod observari potest in sepulcrali Tasi reperto titulo saeculi primi p. Chr. n., in quo hic pentameter legitur, *Χρύσιδα καὶ γαμίης ἐλπίδος ἐστέρεσεν*. attamen hiatum haut fere admittunt. quamquam nomine proprio aliquo modo eum excusari non negaverim; sed eo auxilio vix liceat uti in supplendo titulo.

[4]) cf. Antholog. graec. VII 610 *ἥρπασέ τις νύμφην, καὶ τὸν γάμον ἥρπασε δαίμων*; 518 *Ἀστακίδην τὸν Κρῆτα, τὸν αἰπόλον, ἥρπασε Νύμφη*; 308 *νηλειὴς Ἀΐδης ἥρπασε κτλ.*; 643 *ἥρπασας, ὦ ἄλλιστ' Ἀΐδη*. porro cf. Odyss. *α'* 241 *νῦν δέ μιν ἀκλειῶς Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο*; antholog. gr. (Lips. 1829 edit. stereotyp.) in appendice n. 51 *οὕνεκά οἱ παῖδας μὲν ἀμύμονος ἐκ μεγάροιο Ἅρπυιαι κλωθῶες ἀνηρείψαντο μέλαιναι*. sane haec et similia plerumque de eis dicuntur qui praematura morte abrepti sunt. sed quid est quod idem illi medico non accidisse censeamus?

Iam quae proposui cum multum absit ut ad verbum omnia vera et germana esse existimem, sententia tamen non dubito quin proxime a vero absint. itaque integrum epigramma id fere fuerit,

Μουσάων θεράπ]οντα καὶ εἰητῆρα Σιμῶ[να
Ἥρπασέ τις δαίμων] νῆσον ἄγε(ιν) μακάρων,
Οὗ σε κλυτὸς Παιῶ]ν ἠδ' ἡρώων γένος ἄλλων
Δέκτο μετὰ ξεν]ίη[ς] εἶσον ἔχοντα γέρας.

Beatorum insulae vel insula priscis quae temporibus heroum habebatur sedes propria in posterioris aetatis titulis sepulcralibus saepius laudatur ut beatum hominum defunctorum domicilium. ut praeter illud quod supra posui exemplum adferam in Marcelli epigrammate in Anniam Regillam Herodis Attici uxorem scripto[1]) haec leguntur,

. . αὐτὴ δέ μεθ' ἡρῴνῃσι νέασται
ἐν μακάρων νήσοισιν, ἵνα Κρόνος ἐμβασιλεύει.
τοῦτο γὰρ ἀντ' ἀγαθοῖο νόου εἴληχεν ἄποινον.

vetustioribus ex titulis sepulcralibus nullum quod sciam exemplum adferri potest unde heroum qui erat proprius honos eum hominibus quoque tributum esse perspiciatur, sed hoc posterioris demum est aetatis. quod quamvis leve videatur tamen praeter alia est exemplum labentis in dies ingenii: cum nimirum coepissent religionem laxare et neglegere, ne heroum quidem amplius habebant reverentiam.

[1]) Antholog. graec. append. epigram. n. 51 vss. 8—10.